DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MATERIA TOXICORVM HOMINIS VEGETABILIVM SIMPLICIVM IN MEDICAMENTVM CONVERTENDA

QVAM

CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA,

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

PHILIPP. FRIDERICO GMELIN,

MED. D. BOTAN. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.

SOCIET. SCIENT. REG. LONDIN. ET GOETTING. SODALI,

PATRONO SVO ET PRAECEPTORE

AD ARAS VSQVE COLENDO

PRO IMPETRANDIS LEGITIME SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS

PVBLICAE VENTILATIONI ET DISQVISITIONI

D. Mens. Septembr. 1765.

IN AVLA NOVA EXPONIT

IOHANNES MELCHIOR EPPLI, Dieſenhofio-Helvetus.

TVBINGAE, TYPIS SIGMVNDIANIS.

LIX.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

PROLOGVS.

Interfuit Nobiliſſimus Dn. Candidatus quibusdam experimentis in ſalutem ægrorum cum cicuta captis abs Venerando Domino Parente, Med. D. & Practico Dexterrimo Dieſenhofiano, inſeruit præcipua horum experimentorum ſuæ collectioni obſervationum helveticarum de effectibus cicutæ in variis morbis feliciſſimus Turici Medicinæ Doctor & Practicus D. D J.H. RAHN, Senator patrii Magiſtratus, in Actis Societatis Phyſicæ, quæ Turici floret, eorumque Tomo II. *a*) exſtanti, & Epplianæ quidem obſervationes leguntur præſertim collectionis hujus p. 429—433. p. 441. ſq. p. 452. p. 494—501. Excitaverunt hæ obſervationes omni ex parte attentionem laudabiliter curioſi Dni Filii, & acuerunt vigilantiam optimis Naturæ Diſcipulis propriam, qua defixis oculis perluſtrant conditiones omnes, ſub quibus etiam in homine ſalutares effectus ab his & illis corporibus, vel mere naturalibus, vel arte tantiſper mutatis, & præparatis fieri ſolent, ex prudente ipſorum ad humanum applicatione; neque heic ſubſiſtit Nobiliſſ. Dni Candidati hujus induſtria, collegit ſuo ut plenius ſatisfaceret diſcendi deſiderio, aliorum quoque obſervata, conſuluit inprimis Störckiana, & reliquorum, qui & iſta confirmare videbantur, & laudis aliquid detrahere celebratæ adeo efficaciæ cicutæ hujus, vel *Conii* potius *maculati*, ſeminibus ſtriatis, quos inter poſteriores non tantum

 ſunt

a) Abhandlungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich; zweyter Band Zürich 1764. in 8. p. 415. ad finem usque 506.

ſunt aliqui ejus panegyrici, quemadmodum Joſephus *Quarin. b)* & Project. Joſeph. ERHART, *c)* ſed & alii, qui gloriam ejus omnem deprimere anniſi ſunt, e quibus palmam reliquis præripit Auctor diſſertationis Helmſtadienſis, quæ inſcribitur: *Dubia cicutæ vexata, d)* is enim dubium & anceps ibi appellat cicutam hanc remedium, ejusque uſum rejicit, tanquam pluribus preſſum non modo difficultatibus, verum & ſuſpectum, incongruum, & nocivum. Quum vero toties hoc exemplo converſionis virtutis venenatæ in medicatam delectatus Dn. Cand. multiplici mecum colloquio ſciſcitaretur: quibus argumentis forte demonſtrari, & ſuis e fontibus plenius erui poſſet, omnique a contradictione vindicari poſſibilitas hujus tutæ converſionis in conio, imo & extendi ad alia venena vegetabilia? ſeu materias eorundem? conſilium dedi jam ante plenum trimeſtre, profundius foderet, omnique opera veritatem venaretur, ſeligeret eum in finem ponderoſiſſimum hoc argumentum pro themate Speciminis inauguralis, ſeveriore ſtudio extricandum, ille, vero ſua pro modeſtia impares huic labori proprios ratus lacertos me rogavit, ego ut ipſi de converſione hac diſſertationem inauguralem conſcriberem, cum peroptaret pleniore tractatione collecta habere momenta huc pertinentia. Nolui recuſare, cum & mihi jucundnm ſit ruminari argumentum, quod, ut medica meditatione digniſſimum eſt ex omni parte, ita & latiſſime ſuos in ſalutem hominum uſus diffundere poteſt. Nec terret veneni nomen, cum ipſa experientia panicum hunc metum eſſe declaret, ita enim ex illa deſcribit inſigne illud Turici decus, Clariſſ. Jo. GESNERUS: *e)* "Neque ipſis venenatis plantis virtus medicata denegari poterit, ſi mitigetur, aut corrigatur venenum, aut refracta doſi exhibeatur, quin ea ipſa medicamenta acriora, parva, & ſæpe repetita doſi adhibita admirabiles in plurimis morbis pro immedicabilibus habitis hactenus effectus præſtant." Quadrat ergo huc illud Lucretii: "De-

---

b) Joſephi QVARIN, Sacræ Cæſar. Reg. Apoſt. Majeſt. Inf. Auſtr. Reg. Conſil. Sanct. & in Noſocomio fratr. miſericord. Phyſici Tentamina de cicuta Vindobonæ 1761. p. 16. & p. 37.

c) Diſſert Medica de cicuta Auctore Project. Joſeph. Erhart REDERSCHEIM Alſat. Argentorati 1763. p. 68.

d) Diſſ. med. Dubia cicutæ vexata, Præſ. Joh. Henr. LANGE. Reſp. Gottwerth MÜLLER, Hamb. 1764.

e) Phytographiæ Sacræ generalis part. pract. altera. Turici MDCCLXII. p. 8. §. 5.

Deſine novitate rei exterritus ipſa
Exſpuere ex animo rationem, ſed magis acri
Judicio perpende, &, ſi tibi vera videtur,
Dede manus, aut, ſi falſa eſt, accingere contra.

Quamvis enim inficias ire non poſſimus, venena in manu indocta potius tanquam gladios eſſe reformidanda, experientia tamen jam edocemur, ſcribit Doctiſſimus Dn. Jac. Joh. Piccardt, *f*) „efficaciſſima quædam venena prudenti manu medica propinata, caſtigata, juſtisque ſub conditionibus optimi medicamenti vice fungi poſſe, inque morbis refractariis poſſe evadere inſtar omnium.„

Idque profecto ſatis magnum erit diſquiſitionis hujus lucrum, non exigua ſalutari arti medicæ additurum incrementa, quorum ope magnus ægrorum numerus ſervari poſſit in poſterum, qui his orbati ſubſidiis, novisque inventis de vita periclitati eſſent absque ulla evaſionis ſpe.

Dividam equidem tractationem meam omnem in duo palmaria capita, quorum alterum deſcribat Venena, ſeu toxica vegetabilia hominis, eorumque materiam, alterum ejusdem converſionem in medicamentum definiat. Nominabo quidem in primo capite præcipua cognita hactenus venena vegetabilia, tangam tamen ea nonniſi in generalioribus, atque ſic in altero etiam capite inhærebo magis generalibus, certe omni ratione cavebo, ne in ſpecialiora nimis me diffundam. Provideat Supremum in Cœlis Numen, ne quid alio excidat animo, quam veritatem quærendi, & humanæ genti bene conſulendi, ut celſiſſima ipſius gloria hujus etiam opellæ ſcopus & finis fiat!

CAPVT PRIMVM

De Toxicis, vel venenis vegetabilibus hominis, eorumque materia.

§. 1.

Indicabo primo, quid ſibi velint Toxica, vel venena vegetabilia hominis? *Toxicum*, Græcis Τοξικὸν, dicitur venenum quoddam ex eo,

 quod

f) Specimen medicum inaugurale de venenis & antidotis, Auct. Jac. Jo. Piccardt, Groningano. Lugd. Bat. 1764. p. 6.

quod barbarorum ſagittæ eo illinerentur, ut tradit Dioſcor. l. 6. cap. 20. Τόξον enim Græcis arcum, vel ſagittam cum arcu denotat, ita Scapula in ſuo Lexico. g.) Ita etiam Commentator Dioſcoridis Matthiolus h.) prolixe demonſtrat, ſingulare fuiſſe venenum, quo ſagittas olim Barbari perliniverint, eo tempore quoad materiam græcis Medicis incognitum, cum proprie antiquis Barbari dicantur, qui Troglodyticam Æthiopiæ regionem incolunt, apud quos fortaſſe tantum naſcatur? Et ſic Ruellius i.) quoque in libro de Natura ſtirpium, ubi ſæpe de toxicis loquitur, ea ſemper ab aliis venenis diſtinguit. Sed venena omnia generali nomine toxica vocarunt Græci Poëtæ, prout etiam in libris recentiorum Medicorum frequentiſſime vocabulo hoc quævis inſigniuntur venena, ſufficiat teſtimonii loco Bœrhaavius in ſuis inſtitutionibus titulo de antidotis §. 1135. Alias Græcis venenum in genere dicebatur φάρμακον, pharmacum, unde adhuc nomen eſt alexipharmacorum, ſed & medicamentum idem ſignificabat, unde, qui æquivocationes evitare volebant, addebant utplurimum epithetum propius rem exprimens, ſic Ariſtoteles appellavit φάρμακα θανατίφορα, venena, Hippocrates Libro Epidemiorum κακοῦργα φάρμακα, & in Juramento θανάσιμα. Galenus k.) venena nunc appellat φάρμακα φθοροποία, nunc θανάσιμα, δηλητήρια, nunc etiam δραστικὰ, quibus tamen diverſis appellationibus haud negaverim, indigitaſſe quoque paſſim acutiſſimum Virum gradu, modoque agendi, diverſa venena. Synonymum veneni *virus* olim proprie tetrum odorem denotabat.

§. 2. Quæ *vegetabilia* ſint venena generaliter ita dicta, nemo non, me non explicante, intelliget? ea ſcilicet puto, quæ ſuppeditant plantæ ſeu vegetabilia, eorumque partes, materiæ uno verbo vegetabilis originis.

§. 3

g) Lexicon Græco-latinum, ſeu Epitome Theſauri Græcæ Linguæ ab Henrico Stephano conſtructi, quæ hactenus ſub nomine Jo. SCAPULÆ prodiit, &c. Genevæ 1621. in 8. mai.

h) Petr. Andr. MATTHIOLI Senenſis Medici Commentarii in ſex Libros Pedacii Dioſcoridis Anazarbei de medica materia Venetiis, in fol. 1565. p. 1420. ſq.

i) De natura Stirpium Libri tres, Joanne RUELLIO Auctore, Medico &c. in fol. Baſil. 1543.

k) ΓΑΛΗΝΟΥ ΑΠΑΝΤΑ, ſ. Galeni Pergameni opera omnia, in fol. Baſil. MDXXXVIII. Part. ſecund. Lib. II. περὶ ἀντιδοτῶν. p. 423, 424. ſqq.

§. 3. Nec obſcurum eſſe poteſt, quid mihi velim per *toxica vegetabilia hominis?* non alia nimirum, quam quæ in homine veneni effectus edunt.

§. 4. Dum vero de *materia venenorum* horum loquor, urgeo partim, nominatim indicari maſſas illas vegetabiles, quæ venenatam, vere talem in hominem efficaciam continent, ſtricto enim ſenſu veneni notio exprimit ſaltem facultatem aliquam, & relationem ad hominem ſingularem, ex qua veneni effectus poſt factam ad ipſum applicationem conſequuntur, licet idcirco vitii adcuſare nolim adoptatam communiter latiorem ſignificationem, quæ veneni vocabulo exprimit materiam omnem, hac facultate præditam; partim vero diſtinguere volui hac determinatione in ipſis mixtis venenatis tam naturalibus, quam præparatis inertiorem illam, ſæpe quantitate multo majorem partem ab ea, quæ proprie venenata virtute, concentrata quaſi, ſcatet, æque ac in medicamentis, vel materiis medicamentorum ex analyſi chemica convincimur, ſæpe minimam totius molem conſtituere illud, ex quo medicatæ virtutis præcipuus repeti fons poteſt, & debet.

§. 5. Sed hactenus de venenis hominis locutus ſibi reliqui *notionem veneni*, qualis vaga utique vulgi animis inhæret, & paſſim quoque aliorum, neceſſe autem duco, magis figere hanc ideam. At hic Rhodus, hic ſalta! Dum ab aliis potentiis homini nocivis, & ad extremam uſque perniciem nocivis diſcernere allaboro eas, quæ *virus* habere dicuntur, obſervo in illis varietatibus innumeris, quæ hactenus innotuerunt, materiarum, quæ *veneni hominis nomine omnibus* veniunt, ea, quæ conſtantia ſunt circa phænomena, effecta, conditiones earum, huc potiſſimum redire: quod humano corpori etiam ſaniſſimo ſub determinatis applicatæ conditionibus, effectus mox ab applicatione imprimant vitæ atque ſanitati eminenter pernicioſos, vel breviſſimo tempore lethales, vel certe forma damni permanentis neceſſarias ad conſtantiam ſanitatis, & ipſius vitæ conditiones alterantes, minuentes, deprimentes, aut etiam humanitatem directe conſtante vitio lædentes, & effectus exſpectatione ubivis pro analogia & comparatione cum aliis potentiis nocivis longe majores, vi ſingulari, nec moli reſpondente, nec ex aliis viribus analogis, mechanicis, chemicis, vel phyſicis communibus, vel in relatione ad humanum corpus aliis, quin nec medicamentoſis, vel omnibus etiam ſimul

ſu-

ſumtis probabiliter tantum explicanda. Obſervo etiam præterea, dum proſequor cognitorum venenorum proprie talium exempla, in eo etiam ſe diſtinguere ab aliis potentiis æque nocivis, quin lethalibus, quod venenorum ſtricte ſic dictorum applicatio non ſit abſolute inevitabilis, quæ talis eſt in omnibus cauſis materialibus morborum peſtilentialium, epidemice malignorum, & maligne contagioſorum.

§. 6. Quapropter, cum finita noſtra cognitio, quemadmodum in aliis multis objectis phyſicis, & medicis, ita & hic, non aſſurgat facile limitata ſua perſpicacia ultra obſervationem effectuum e contactu & applicatione aliorum corporum ad humanum conſequentium, modi vero, quo fit impreſſa prima mutatio rationes, vel proportionem virium agentium, & reagentium, aut etiam ipſum virium illarum principium proprium inhæſivum profunde ignoret, neque aliam heic poterimus proponere venenorum definitionem, quam quæ conſtantes enarret eorum ſingulares effectus, & præcipuas conditiones, ſub quibus illi eveniunt, erit adeoque nominalis tantum? Deſideratur autem talis, quæ ad omnia poſſit extendi venena, & exhauriat tam effectus, quam conditiones, in omnibus obſervabiles, at ſolis tamen in hac unione venenis. Age conabor talem ſiſtere, hæc eſto: *Venenum hominis* eſt omnis materia, quæ humano corpore, utcunque diſpoſito ex ſe, ſaniſſimo etiam, admiſſione non abſolute inevitabili, a foris excepta effectus in homine mox ab applicatione prima producit vitæ atque ſanitati eminenter pernicioſos, vel breviſſimo tempore lethales, vel certe forma damni permanentis impreſſi neceſſarias ad conſtantiam vitæ ac ſanitatis conditiones eminenter alterantes, minuentes, deprimentes, aut etiam evidentius eadem ſpecie in actionibus mentis relinquentes vitium, ita quidem, ut effectus ubivis exſpectationem plurimum ſuperent pro analogia & comparatione cum aliis potentiis nocivis, vim ſingularem prodentes, nec moli exiguæ reſpondentem, ex qua profecta eſt, nec ad alias analogas cognitas vires, vel phyſicas communes, vel mechanicas, vel chemicas, vel in relatione ad humanum corpus alias, quin nec medicamentoſas, harumque vel plures, omnesve ſimul ſumtas probabiliter tantum reducendam.

§. 7. Ita vero, regerunt, excluduntur animi pathemata, quorum tamen effectus, multiplex experientia loquitur, ſimilibus prorſus ſub conditionibus vita hominem privant? Sic facundiſſimus Gaubius in egre-

gio

gio ſermone academico ante biennium declamato *l*) mirabilia in hanc rem exempla in ſcenam producit: Nutricem, ſcribit, profero, cujus iratæ ubera lactenti pro alimento *venenum* inſtillant horrendis convulſionibus lethale. Miles cum muliere rixatur, hæc manum ejus morſu ſauciat, homo rigore prehenſus moritur. Juvenis Italus, ira percitus, vindictæ impar, proprium mordet digitum, ac lethali aquæ metu, tanquam a rabido cane demorſus, corripitur. Rege Ferdinando adverſus viduam Regis Hungariæ Joannis bellum gerente, unus e cataphractis equitibus, ferrea ſub perſona ignotus, cum in conflictu quodam prope Budam oppidum commiſſo inuſitata virtute ac fortitudine præ aliis emicans omnium in ſe oculos converteret, acie tandem percuſſus cadit. Laudant cuncti, & dolent egregium militem, prælioque finito urgent, quisnam eſſet? cognoſcere. Adſtat & funeri Nobilis Germanus, nomine Raiſciac, raro heroici animi exemplo inprimis commotus, ſuumque eſſe proprium filium agnoſcit. Miſerans corona verbis, lachrymisque dolorem declarat: ſolus ille ſilet, ſiccis in filii cadaver defixis oculis ſtupet, obrigeſcit, ac derepente humi proſtratus exſpirat. Alia ſtupenda, & lectu digniſſima exempla prætereo, quibus addere quoque poſſem ea, quæ in propria oratione academica *m*) olim ipſe abunde cumulavi. His autem omnibus non moveor, ut mihi perſuadeam, venena ſtricto ſenſu dici poſſe animi pathemata, utut facile largiar, efficaciæ venenis æquivalentis eſſe, poſſeque ſubitaneam inferre mortem, rhetorice dicas per me venena, ſed receptus profecto loquendi uſus magis fixus, quoties venenum nominat, ſemper ſubintelligit materiam homini applicatam ab extus, nec putem, intereſſe poſſe vel Medicorum, vel ægrorum, num cauſam ſubitaneæ mortis, vel eminentius noxiorum effectuum in hominem venenum præciſe appellem, nec ne? modo intelligam hanc ejus ad hominem vivum relationem.

§. 8. Sed ab aliis etiam vindicanda eſt exceptionibus propoſita §. 6. definitio; dices: nimis eſt prolixa? largior, optarem breviorem,

l) Hieronymi David GAVBII ſermo academicus alter de regimine mentis, quod Medicorum eſt &c. in 4to Lugd. Bat. 1763.

m) De animæ humanæ imperio in nervos non voluntario, habita 1750. Inſerta hæc legitur Henr. Guil. CLEMMII nov. amœnit. literar. Faſciculo primo 1762. p 84. ſeqq.

ſtudui autem ſatis diſtincte per eam notas exprimere, quibus ab aliis materiis omnibus diſtinguuntur venena; ſelegi conſtantiſſimas, nec mihi quidem viſum fuit, potuiſſe hanc ſecuturum legem vel unicum excludere momentum. At nimis etiam dividit, obvertis contra legem logicam definitionibus præſcriptam? agnoſco etiam hoc vitium, ſi tale nominare velis, hoc autem evitari vix potuit ex ipſa definiendi natura, partim cum non alia ſuppetant data, quam effectus, & hi potiſſimum ad tria memorata capita redeant, non unita in omnibus, ſed ſolitaria ſæpe in ſingulis venenis, partim ob imperfectionem noſtræ cognitionis, quæ hactenus quidem tria illa capita neſcit reducere ad unum, cui ſubjici reliqua poſſint.

§. 9. At perperam, pergis, excludit definitio materiam peſtis, maligne contagioſorum, aliorumque malignorum epidemicorum morborum? probat certe Gaubius *n*) argumentis ſolidiſſimis, miaſmatum horum noxiorum haud abſimile ingenium eſſe, addit: "non infrequenter corporum virulentorum effluvia eſſe, ideoque omnino ad venena referri mereri.,, Liceat pace Magni Viri reſpondere: venena eſſe latiore ſenſu, ſtricto ſenſu non poſſe ſub hoc militare nomine, ſi enim omnia conceſſerim, obſervo tamen hic aliquam conditionem, quæ a venenis proprie ſic dictis abeſt, eſt vero hæc: miasmata iſta ſunt abſolute inevitabilia, quamprimum in ea verſor atmosphæra, quam inhabitant; venena proprie talia non ſunt abſolute inevitabilia, etenim tolle admittentis ignorantiam, vel negligentiam, autochiriæ nefanda molimina, vel propinantis, applicantisve tertii malitiam, liber erit homo, tutusque a venenis. Ponamus eodem tempore Cajum ex peſte, aliove morbo epidemico, maligno, contagioſo mortuum eſſe, Titiumque ab admiſſo veneno proprie tali vita orbatum, num non & populi, & literatorum vox declarabit diſtinguendo: Cajum ex peſte, Titium e veneno mortuum eſſe. Separat etiam ſollicite Boerhaavius *o*) Venena hæc a peſte, contagiisque, ut plures alii; adde, quod etiam illa miasmata, ſi curioſius attendimus obſervationibus de iſtis collectis, videantur nunquam lethalem ſuam efficaciam exſerere poſſe, ubi non diſpoſita ſunt corpora, hinc multos quandoque in eodem aëre viventes prætereunt, ſed

n) Inſtitut. Patholog. medicinalis, Leid. Batav. 1758. in 8. §. 496. p. 249.
o) Inſtitut. medic. §. 796.

ſed venena ceteris paribus agunt absque prævia tali diſpoſitione. Putem, non exigui hanc diſquiſitionem momenti eſſe in medicina forenſi, prout incidere varii caſus poſſunt.

§. 10. Cur vero addit definitio: *corpore utcunque diſpoſito*? nonne ſic experientiæ contradicit, quæ docet, pro varia hominum ætate, diverſa ſolidorum ſenſibilitate, mobilitate ſyſtematis nervoſi, activitate ſyſtematis vaſorum ſanguineorum, conſtitutione maſſæ humorum, idioſyncraſia privata, & conſuetudine alios & alios eſſe venenorum effectus? quin etiam hærentia in ventriculo, dum ingeritur venenum, ejus antidota, poſſe veneni vim infringere, ut poſſunt etiam eadem cum veneno mixta idem efficere, quemadmodum ſic Aurelium Antoninum, & Ponti Regem Mithridatem venenorum efficaciam eluſiſſe refert GALENUS *p)* ut non in ſolam conſuetudinem, quod voluit Martialis, *q)* cadat exceptio, quam ita effert:

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Quid quod uno verbo huic adiaphoriæ diſpoſitionis quam maxime repugnare videatur ſumma per individua obvia diverſitas virium naturæ humanæ actuoſarum, quas in recentiſſima diſſertatione inaugurali batava *r)* graphice deſcriptos legimus; hæc diverſitas præcipuum ſternit fundamentum ſanitatis cuivis homini propriæ, venenis quoque magis vel minus reſiſtentis, quam elapſo demum anno ſollicite admodum enucleatam ſiſtit Guil. Freder. Adolph. GERRESHEIM, Brandenburgenſis, *ſ)* licet omnibus diſſertationis illius momentis aſſentiri non poſſim. Prætereo rariores caſus, qualis eſt memoratus in Actis Moguntinis *t)* ex obſervatione Caroli STRACKII de ægro poſt multum opium ad integrum ſcrupulum ſumtum ſecuro, ubi quidem antidota procul dubio etiam

 erant

p) l. c. not. *k)* p. 424.
q) Lib. V. Epigram. 78.
r) De viribus naturæ humanæ actuoſis, Reſp. Jo. Jac. GASSER, Rheneco-Helvetio, Lugd. Bat. 1763.
ſ) Specimen medicum inaugurale, de ſanitate cuivis homini propria, Lugd. Bat. 1764.
t) Actor. Acad. Mogunt. T. II. Erford. 1761. p. 477. ſqq.

erant admiſſa, ſapo nimirum venetus, & camphora, unde nec ſomnum largiorem effecit opium. Verum & hic non difficulter ſolvitur nodus! Primo enim diverſitas effectuum venenorum memoratas ſequens diverſitates auget ſaltem, aut minuit gradum vehementiæ illorum effectuum; ſecundo autem, cum ſermo eſt de venenis actione generali vivos in homines plures æſtimanda, exulare debent omnes prophylaxes ex arbitrio hominis pendentes, vel per conſuetudinem, vel mixturam cum antidotis poſſibiles, ſupponuntur omnes in ſtatu prorſus naturali, & ſic profecto nunquam obſervabis tot exceptiones a regula, quot nativa miasmatibus illis interponit vel ſolidorum, vel fluidorum, vel amborum ſimul, aut omnium, aut aliquorum ſingularis diſpoſitio, ad quam alibi Medici provocant, tanquam intextam compagi, & fabricæ corporis, ut ſi quæ forte occurrat exceptio, vel rariſſimis adnumeranda ſit avibus, vel ad nativam non referenda diſpoſitionem.

§. 11. Qua vero ratione tuebimur determinationem: effectum exiguæ moli non reſpondere? cum ſub illa varietate venenorum haud pauca ſint, quæ in comparatione cum aliis, ut effectus veneni deleterios edant, ſatis magnam molem poſtulant. Et vera quidem eſt illa venenorum differentia, reſpondeo autem: in illis etiam, ubi comparative major eſt moles, minor tamen ſemper eſt effectu, hujus ut magnitudo nunquam intelligi queat ex hac mole.

§. 12. Denique regerent alii, nimis eſt ſevera veneni limitatio, quam finis definitionis §. 6. adpendit, qui vim ſingularem ex effectu cognitam adeo tectam deſcribit, ut nec ad alias cognitas vires, vel phyſicas communes, vel mechanicas, vel chemicas &c. probabiliter tantum reduci poſſit. Quantas, quæſo, ſic in anguſtias contrahitur venenorum ſyllabus? excidunt eo venena mechanica, medicamenta draſtica largiore doſi propinata, & alia plura, quæ Medicorum tam antiquiorum, quam recentiorum Coryphæi tanquam venena deſcripſerunt! Sed non metuo Auctoritates contrarias Virorum multo me ſuperiorum, forſan enim non adeo contrariæ ſunt? En rationes hoc dilemmate conſpicuas: aut effectuum venenorum & mechanicorum, & draſticorum intelligi poteſt ſufficiens ratio ex natura materiæ veneni, vel effectibus ejus aliis in corpus humanum non deleteriis, aut non poteſt; ſi dixeris, poſſe intelligi, ut exhauriat modum omnem, quo fit ab applicato veneno

in-

impreſſa mutatio, non video, qui poſſit venenum dici, cum hujus idea, prout vulgi & eruditorum animis inſidet, uſuque recepta eſt in venenis, ſemper agnoſcat ſimul vim ſingularem, cujus ex analogia, vel cognitis aliis principiis, & experimentis plena ratio dari non poteſt, nec enim talia metimur ex cognitione vulgi, (qui utique plurima per ſuam ignorantiam pro venenis vendere poſſet, quæ talia non ſunt,) ſed ex cognitione peritorum, & verſatorum in iis artibus & ſcientiis, quæ principia cognoſcendi ſuppeditant. Si velis, non poſſe intelligi, tum aut inanes erunt termini, & ſine mente ſoni, dum venena vocas mechanica, chemica, & draſtica, aut certe non aliter poteris interpretari hæc epitheta, quam quod mechanica & chemica venena ſint ea, ubi ex rationibus mechanicis & chemicis, magnam tantum partem, ſed non omnem efficaciæ deleteriæ explicare potes, & draſtica, in quibus quidem eminus perſpicias, quod agant more medicamentorum acriorum purgantium, & quod vel continuato uſu, vel aucta doſi, vel pro majori ſenſibilitate admittentium poſſint etiam vehementiorem, & omni modo nocivam imprimere mutationem, nondum tamen in totum explicare poſſis, quomodo effectus veneni noxis ſimiles inurere queant. Hac proinde in agnoſcenda imperfectione ſi conſentientes omnes invenero Medicos, non moroſus excludam venenorum catalogo mechanica, chemica, & draſtica, cum ceterum non magis heic, ac circa mentis pathemata, §. 7. Medicorum quidquam intereſſe putem, num in ſubſtratis caſibus materiam talem mortis cauſam fuiſſe judicent tanquam venenum, num alio titulo aperto magis?

§. 12. At ſupereſt alia removenda difficultas, quæ, ut forte alias, ita hanc etiam premit definitionem, eſt hæc: in caſibus legalibus nemo ex hac definitione ſapiet, vel decidere poterit, num admiſſum, ingeſtumve fuerit venenum? nec enim hæc exprimit characteres ullos, ex quibus in caſibus legalibus corpus delicti, ut JCtorum voce utar, erui, agnoſci, & dijudicari poſſit? oportet hic nominare qualitates materiarum externas ſenſibiles, figuram, ſaporem, odorem, colorem, ſuperficiem, duritiem, gravitatem ſpecificam, ſingulares mutationes ab igne inductas, & quæ ſunt alia, quibus utuntur alias Medici ad exploranda venena, nam a Medicis, eorumque judicio expectant Judices deciſionem quæſtionum maxime arduarum, atque intricatarum circa venenorum effectus, cum ii ſæpe incerti ſint,

 imo

imo prorſus dubius hæreat Judex, an venenum fuerit cauſa necis, dum ſigna adeo ſæpe ſunt occulta, ut ſine edecumata Medici prudentia in re tam gravi plane progredi non liceat", ita in diſſertatione inaugurali jam ante hos 40 annos ſcripſit Medicus, & Profeſſor noſtræ hujus Vniverſitatis acutiſſimus, Elias CAMERARIVS, *u)* & propoſuit anecdota plurima, lectu digniſſima, ſolidiſſimam ſapientia eruditionem, qua venenorum hiſtoriam, effectus, indolem & cautelas circa eorundem dijudicationem obſervandas proſecutus eſt, quibus autem heic immorari non vacat. Sed, ut redeam ad motam difficultatem, negaverim ego, quod in caſibus legalibus nemo ex hac ſapere definitione poſſit, nonne enim ea effectus, & conditiones indicat conſtantes, quibus præſentibus confidenter aſſeri poteſt, admiſſum eſſe venenum? an ideo defectu peccat, quod non ipſam indicet venenorum materiam? certe vix crediderim, cum veneni notio tantum exprimat facultatem aliquam, §. 4. vim, & relationem ad hominem ſingularem, quæ ipſa ſenſus non ſubit, & materiis plurimis, quoad externas qualitates diverſiſſimis ineſt. Vt proinde applicatio particularis, vel ſpecialiſſima, quam caſus forenſes nobis offerunt, primario quidem vigilanter attentos nos eſſe jubeat effectibus & conditionibus admiſſi veneni conſtantibus, verum præterea etiam inveſtigare materiam, quæ per multiplicem experientiam comperta eſt par eſſe illis effectibus, quamvis ejusdem ſumma ſubtilitas pro varietate, quam particularis venenorum ſingulorum hiſtoria docet, ſenſuum optimi etiam ſcrutatoris aciem ſubterfugere poſſit.

§. 13. Sed progrediamur ultra; indicabo ſcilicet nunc præcipua cognita vegetabilia venena, prout ea per obſervationes innotuerunt antiquioribus, & recentioribus Medicis. Initium faciam ab antiquioribus, de quibus quidem præmonere oportet, quod partim admodum obſcure determinaverint plantas, earumque partes, quas pro venenis habuerunt, ut hodienum paſſim dubitetur, quænam illæ ſint? partim, quod nunc per vagas obſervationes, nunc per vitia ſubreptionis declaraverint pro venenatis, quæ tales non ſunt, vel certe plures, utcunque nocivas, non tamen venenatas pro talibus habuerint, ob lubricam veneni notionem; pro-

---

u) De venenorum indole, ac dijudicatione diſquiſitio extemporalis, *Reſp. Jo.* Frider. GMELIN, Stutgardtiano. 1725.

prodeat ex his primus *Petrus* de ABANO *v)* qui jam longe ante quatuor ſecula floruit, ita vero ille: " Vegetabilium quædam venena ſunt, ſuccus herbarum, quædam fructus arborum, quædam vero ſemina ipſarum. *Succus* quidem cicutæ, & ſuccus tithymalorum, & ſuccus cucumeris aſinini, & ſuccus usneæ, ſuccus bothormarien, ſuccus coriandri, mandragoræ, ſuccus papaveris nigri, de quo fit opium, ſuccus volubilis, ſeu corrigiolæ lactentis, de quo fit Scammonia, & ſuccus apii riſus, & ſuccus cheruæ, id eſt, gyraſolis, ſuccus napelli, oleandri, ſuccus mezereon, ſuccus ellebori nigri, & ſuccus alſæ ſiræ, id eſt, vitis albæ, ſeu ſilveſtris, & ſuccus bryoniæ, id eſt, cucurbitæ ſilveſtris. De *fructibus* vero ſunt: cornua oleandri, & cornua ſpicæ, bedeguar, & anacardi, & nuces, & avellanæ rancidæ, & nux vomica, malum caſtoreum, mali fungi, & coloquintida, quæ ſolitariæ ſunt natæ in arbore ſua, & ficus Pharaonis, & poma mandragoræ. *Semina* vero ſunt: Juſquiami & coccognidii, & baccæ lauri rancidæ, & catapuciæ, & ſemen urticæ, papaveris nigri, ellebori, cicutæ, coriandri humidi, ſerpentariæ, hæc omnia enim, addit, comeſta, vel bibita, aut perimunt, aut infirmant corpus, & alterant." Deſcribit ubique ſingulorum horum vegetabilium effectus, & ſymptomata, congruaque ſubjicit antidota.

§. 14. Singularem plantarum deleteriarum indicem reliquit Celeberrimus DODONAEUS *w)* Plus ille operæ impendit botanicæ virulentarum harum plantarum deſcriptioni, efficaciam venenatam paucis exprimit per obſervatam qualitatem aliquam ſenſibilem, nominat autem ſequentes plantas: "Ranunculum hortenſem I, & II, Ranunculum ſilveſtrem I, II, & III, quorum primus eſt *apium* riſus dictus, alter *auricomus*, tertius arvenſis *echinatus*, addit his alios exoticos, nimirum Illyricum, Luſitanicum, alium rurſus albo, alium globoſo flore, ranunculum tuberoſum; poſt hos vero nominat: Flammulam Ranunculum, Pulſatillam, Anemonem, II, III, IV, V. Anemonem trifoliam, Aconitum pardalianche, aconita lycoctona, majus & minus, aliaque tria, non lutea, napellum, Thoram Valdenſem, Anthoram, Paridis herbam, *papavera*, præcipue illud, quod nigrum appellant, cujus e capitulis vulneratis collectus liquor candidus, denſatus, dat opium, Hypecoum, hyoſciamum nigrum, album luteum, peruvianum, ſolanum hortenſe, ſomniferum, maniacum, ſeu furioſum, lethale, Mandragoram, aurea mala, ſcilicet: Lycoperſici fructus, porro mala inſana, ſtramonium, ſeu pomum ſpinoſum, colchicum, & hermodactylum, cicutam", id eſt, conium recentiorum.

§. 15.

---

v) Clariſſ. Philoſophi & Medici Petri de Abano de Venenis, eorumque remediis &c. Baſileæ 1531. in 8. opera D. Guil. GRATOROLI e manuſcriptis exemplaribus collata, aucta atque illuſtrata.

w) Purgantium, aliarumque eo facientium, tum & radicum, convolvulorum, ac deleteriarum herbarum hiſtoriæ Libri IV. &c. Antwerpiæ 1574. in 8.

§. 15. Vtiliſſimam venenorum vegetabilium hiſtoriam reliquit nobis Dioscorides, quam legimus in Commentariis Matthioli, *x)* quibus illos Dioscoridis libros illuſtravit, mireris profecto haud parum, quanta pro menſura illius ætatis induſtria collegerit perſpicaciſſimus Auctor obſervationes de venenorum ſingulorum deſcriptorum effectibus, & quantum etiam ſibi dederit operæ in determinandis botanice vegetabilibus illis, quæ veneni materiam habent, brevis eorum ſyllabus hic eſt: „Ephemerum, Dorycnium, Aconitum, & Mel Heracliæ Ponti, ubi aconitum gigni ſolet, cui frequenter apes involant, (uti amarum eſt, quod in Sardinia naſcitur, quoniam apes ibi abſinthio veſcuntur;) ulterius autem Coriandrum, præcipue in recente, viridi ſemine, cimices redolente, Pſyllium, Cicuta, ſeu conium, Taxus, Carpaſi ſuccus, Sardonia herba, Hyoſciamus, Mandragora, Meconium, Papaver corniculatum, Toxicum, Ixia, vel niger Chamæleon, Fungi, Veratrum album, Thapſia, Elaterium, Agaricum nigrum", de quibus quidem quatuor poſterioribus L. VI, cap. 33. monet, quod, etſi ferendi auxilii gratia tradantur, non minora tamen cæteris venenis pericula ſæpius adferant.

§. 16. Et ſic ab antiquioribus etiam ſcriptoribus aliis venena ſparſim in ſuis libris notata invenias, ut apparet ex Rvellio in Libro de natura Stirpium *y)*, nec non ex Theophrasto, *z)* prætereo plures alios, quos inter eminet Johannes Bavhinvs in Hiſtoria plantarum univerſali, *aa)* & Jac. Theod. Tabernaemontanvs; *bb)* ne nimium hæc exempla cumulentur, convertam nunc me potius ad recentiora ſeculi præſentis tempora.

§. 17. E recentioribus Scriptoribus, qui nominatim cognita expoſuerunt venena hominis, prodeat primo loco Boerhaavivs, qui ſuis

---

x) l. c. not. h) maxime in commentariis ad librum ſextum de lethalibus venenis, eorumque præcautione, & curatione p. 1394. ſqq.

y) vid. not. i)

z) Theophrasti Philoſophi clariſſimi de Hiſtoria plantarum Libri VIIII &c. Theodoro Gaza interprete, annexi operibus Ariſtotelicis, qui prodierunt ſub titulo: Ariſtotelis & Theophraſti Hiſtoriæ &c. Baſileæ 1534. in fol.

aa) Hiſtoria plantarum univerſalis Auctoribus Johanne Bavhino, Archiatro, & Joh. Henrico Cherlero, Doctore: Baſilienſibus &c. T. I, II, III. Ebroduni CIↃIↃCL. in fol.

bb) Neuw vollkommentlich Kreuterbuch, beſchrieben durch Jac. Theod. Tabernaemontanvm; vermehrt durch Caſp. Bavhinvm, in fol. Frankfurt am Mayn, 1625.

ſuis jam Inſtitutionibus *cc*) ſatis amplum inſeruit venenorum indicem ad eorum indolem, & rationem agendi, effectumque præcipuum cognitum, digeſtum; ſunt vegetabilia ibi obvia hæc præcipue: " Aconita, anacardium, Anemone, Apium riſus, Apocynum, Arum, Azederach, Cataputia, Chamælea tricoccos, Chamæleon niger, Clematitis, Colchicum, Corona imperialis, cyclaminum, Dracontium, Elaterium, Eſula, Euphorbium, Flos africanus, grana nubiæ, helleborus albus, & niger, viridis, hermodactyli, hyacinthi, Laureola, mezereum, Mel venenatum, Napellus, nigella ſilv. Oleander, Ranunculi, Ricinus, Scammoneum, tithymali, Thapſia, ſemina oleoſa rancida, chryſomela, cicuta major, & minor petroſelino ſimilis, aquatica Geſneri, Crocus, Datura ſeu Stramoneum, Hyoſciamus, nux vomica, œnanthe apii folio, ſucco viroſo, apium, ſolanum melano-ceraſos, pſyllii ſemen, cynosbati ſpongia, fungi, agaricus, viſcum, halitus vini, & cereviſiæ fermentantis, farina denique volatilis fungi pernicioſi."

§. 18. Præcipua vero medica digna eſt attentione Sylloge venenorum, quam nobis ante plenum demum triennium propoſuit Clariſſ. Viennenſium Medicus CRANTZIUS *dd*) & invenias ibi perutiliter in ſuas digeſta claſſes venena hæc, nec perfunctorie deſcripta ſingula, indicabo tantum nomina vegetabilium, ſunt hæc: " Aconitum, anacardium, anemone, apium riſus, vel ranunculus ſceleratus, apocynum, arnica, arum, azederach, ſeu melia, cataputia major, & minor, chamæleon niger, ſeu echynops, Christophoriana, quæ Actæa recentiorum, clematis, coccum gnidii, ſeu thymelæa, colchicum, coriaria, corona imperialis, cyclamen, cucumis aſininus, dracontium, eſula, tithymalus, Euphorbium, helleborus albus, & niger, hermodactylus, hippomane, hyacinthus, nigella, oleander, ranunculus acris, Scammoneum, tagetes, thapſia, tigliæ, ſeu tilli grana, toxicodendron Tourn. Rhus Linn. Belladonna, ſeu Atropa Linn. Caſſava amara, " vel Mandihoca off. Botanicorum Jatropha, Sloanio *ee*) dicta Ricinus minor, viticis obtuſo folio, caule verrucoſo, flore pentapetalo albido, e cujus radice tuberoſa ſucco venenato turgida Americani panem conficiunt, ut etiam ſuis alimentis farinaceis adnumeraret Doctiſſimus D. D. SCHEUCHZER *ff*) quod quidem experientiæ conſentaneum eſſe demonſtrat plenior ejus deſcriptio, quam ſuggeſſit

C Her-

cc) §. 1136—1145.

dd) Henr. Joa. Nepom. CRANTZ Materia medica & chirurgica, juxta ſyſtema Naturæ digeſta, Viennæ Auſtriæ in 8. T. III. 1762. p. 19—104.

ee) Catalogus plantarum, quæ in inſula Jamaica ſponte proveniunt &c. Auctores Hans SLOANE, M. D. Londini 1696. p. 41. ſqq.

ff) Diſſertatio med. inaug. de alimentis farinaceis, Auct. Joh. SCHEUCHZERO, Helv. Tigur. Lugd. Batav. 1760. p. 5. §. 4.

Herbert, Medicus SVRINAMENSIS, *gg)* & breviter indicat Clariſſ. GESNERVS, in parte Phytographiæ ſacræ generalis practica altera, dum ſcribit: "Jatropha Manihot radix venenatiſſima ſola fermentatione in ſalubre alimentum tranſit, „ & alio ejusdem diſſertationis loco: "Manihot radices venenatiſſimæ fermentatione panem ſalubrem exhibent, „ cum tamen ejus efficacia venenata ſit prorſus enormis, videtur enim idem eſſe venenum, cujus lethifero ſucco Reges Macaſſarorum, cœterique cœli ejus principes, militesque tela ſua inficiunt, ut habet Kæmpferus, qui ſatis prolixam veneni hujus Maſſacarienſis hiſtoriam dedit, *hh)* quin & idem cum illo veneno Lamaſcenſi & Ticunaſenſi, cum quo capta in vivis animantibus experimenta recenſuit olim Cl. Heriſant, in anglicam e gallica translata continent ea Transactiones Philoſophicæ. *ii)* Sed continuemus *enumerationem venenorum vegetabilium Crantzinnam*, ſunt hæc: "Cicuta, ſeu conium Linnæi, cicuta aquatica GESNERI, Cicutaria paluſtris aquatica, ſeu Phellandrium, Citutaria pannonica Cluſii, Datura, ſeu Stramonium, Doronicum, Dulcamara, Hyoſciamus, Lolium, Lauroceraſus, Nux vomica, œnanthe, poma amoris, Solanum, venenum Lamaſcenſe, & Ticunaſcenſe, coctione extractum e plantis ab incolis Americanis ad inficienda tela adhibitum, Salia alcalina fixa concentrata, cynosbati ſpongia, fungi, pſyllii ſemen, viſcum quercinum album, vini fermentantis halitus, atmosphæra putridarum aquarum, & vegetabilium noxiorum, ut ex anagyride fœtida, dracontio, Hippomane ſolo halitu Europoeis in Surinam lethali, lino, cannabi florente, nerio florente, ac ſimilibus. „

§. 19. Poſſent his addi plura; ſic Guilielmus Piſo in Hiſtoria Naturali Braſiliæ mentionem facit plantæ braſilienſis *Tangaraca* dictæ, cujus folia & flores vel deguſtata exitiales ſint, præſentiſſimamque imprudenter deguſtantibus mortem adferant, cum radix ejusdem plantæ ſit optimum antidotum veneni hujus, idemque verum eſſe contendit Piſo de Herba *Caſta*, ſeu *Mimoſa*, *Juquiri* dicta, & aliis Caaes, Mimoſa pudica, ramulis & foliis ſenſilibus Tournef. maxime ſenſitiva, Linnæi mimoſa caule aculeato, foliis pinnato - palmatis, ſingulis multiplici oppoſitione pinnatis. *kk)* Augere catalogum poſſet antirrhinum *cymbalaria*, ipſa nicotiana, ſeu *tabacum* juxta ea, quæ laudatus Crantzius habet in ſua

gg) Diſſertatio inaug. medica de Caſſavæ, amaræ, Surinamenſis radice, Auct. Henr. Nicol. HERBERT, Marburgi 1753.

hh) Amœnitat. exot. Faſcic. V. Auctore Engelb. Kæmpfero, D. LEMGOVIÆ in 4. 1712. p. 575. ſqq.

ii) Philoſophical Transactions Vol. XLVII. for the years 1751 & 1752. London in 4. 1753. p. 75.

kk) Linnæi Hortus Cliffortianus &c. Amſtelæd. in fol. 1737. p. 208.

ſua materia medica, & chirurgica *ll*) baccarum phytolaccæ americanæ ſuccus, avena fatua, lolium temulentum, uſtilago ſecalis C. B. juxta obſervationem Acad. Scient. Reg. Pariſ. anni 1740. p. 80. pluresque aliæ materiæ vegetabiles, plantæque, quas experientia certius detegat, ac ſola ratio, ut non dubitemus, ſollicitam doloſe hominum aſtutiam de inveniendis venenis plura cognoviſſe, quam quidem hactenus nominata ſunt. Medicos humanæ ſalutis vigiles ideo maxime cognitio venenorum occupat, ut concives & ſocios ſuos dehortentur ab eorum uſu & admiſſione, & ſalutaria eruere quoque antidota poſſint.

§. 20. Intereſſet ergo, dicis, hoc reſpectu Medicorum, ut ex cognitis jam venenis vegetabilibus abſtraherent, vel tandem aliqua ſigna communia, e quibus non cognitas etiam plantas metiri liceret, num aut eſſent vere venenatæ, aut certe de venenata indole *ſuſpectæ*? ita omnino eſt, ſed neque neglexerunt conquirere hunc in finem ſubſidia omnia, licet utique heic etiam obſervatio moneat, multam difficultatem parere laborem, quo multa particularia in unum cogere volumus univerſale, cum toties dies alter & alter novas exceptiones offerat, poſſunt interim hæc univerſalia, necdum expertia nævorum omnium, inſervire proximo, dum certe dehortantur a venenis multis. Ita profecto, cum vero non adeo ſit abſimile, illas plantas, quæ habitu, formaque omni proxime conveniunt, easdem poſſidere quoque qualitates, nemo damnaverit canonem Botanicorum ſyſtematicorum, quem habet Linnæus *mm*) in Syſtemate Naturæ: "plantæ quæcunque claſſe naturali, adhuc magis ordine naturali, ſed maxime genere naturali conveniunt, etiam viribus propius accedunt," hoc enim canone nituntur ſpecialiores obſervationes, quæ docent: "e pentandriis monopetalas bacciferas maximam partem venenatas eſſe, pentandrias digynias, ſeu umbellatas Tournefortii humidis in locis creſcentes a potiori venenatas eſſe, polyandrias eſſe ſæpius venenatas, cryptogamiam vegetabilia ſæpe ſuſpecta includere," quæ quidem omnia per ſingulas eundo Linnæi claſ-

 ſes,

ll) T. II. p. 126.

mm) Caroli Linnæi Syſtema Naturæ ſecundum ſextam Stockholmienſem edit. emendatam & auctam, Lipſiæ in 8. 1748. Obſervationes in regnum vegetabile, p. 217.

ſes, & genera plurima plenius demonſtravit Clariſſ. GESNERVS in Phytographia ſacra generali *nn*) ut vere intelligas, utilem valde operam præſtitiſſe heic Medicinæ Botanicos.

§. 21. Nec forte rejeceris prorſus eam plantarum hoc intuitu *ſignaturam*, quæ in colore poſita eſt, unde " ſuſpectæ judicantur eſſe plantæ lurido, & per totum triſti aſpectu conſpicuæ, „ quamvis enim non in omnes cadat venenatas criterium hoc, videas tamen, non fallere facile, ubi talis aſpectus locum invenit, & forſan qualitates hujus generis ſenſibiles affixit Natura quibusdam plantis, ut monerent homines cautelæ loco, ut animantibus brutis inſervirent ad uſum naturalis inſtinctus, forſan & concurrunt ad mirabiles illas ſympathias, & antipathias naturales, ſeu concordias & diſcordias rerum naturalium, quas jam ſubolfecit antiquior ætas, prout inter alios Ruellius *oo*) plurima eorum exempla ex obſervationibus Hiſtoriæ naturalis enarrat.

§. 22. At, quemadmodum aliis qualitatibus ſenſibilibus, odore præſertim, & ſapore utuntur Medici multo cum fructu ad dijudicandas facultates vegetabilium medicatas, quod ſolidiſſime demonſtravit Fridericus HOFFMANNVS *pp*) in propoſita methodo compendioſa plantarum vires & virtutes in medendo indagandi, ſic nemo neſcit, habere quoque multa venenorum vegetabilium ratione harum qualitatum ſenſibilium commune quid inter ſe, quo diſcerni poſſint cognita, & ad quod reducta incognita vegetabilia ſuſpicionem venenatæ indolis incurrant, ita quæ odore nauſeoſa ſunt, quæ ſapore talia, non abſque multa veri ſpecie Linnæo *qq*) venenata, ingrata, ſuſpecta judicantur, quoniam certe plurimorum venenorum vegetabilium odor & ſapor talis eſt. Innumeris id exemplis æque, ac ex convenientia habitus, ex odore atque ſapore demonſtratum dedit acutiſſimus GESNERVS in Phytographia ſua ſacra *rr*) collegit enim ibi obſervationes omnes huc facientes.

§. 23.

nn) Phytographiæ ſacræ generalis pars practica altera, Turici 1762. §. XV. p. 30—47.
oo) De natura Stirpium libri tres &c. in fol. Baſil. 1543. Lib. I. Cap. XXII. p 95—98.
pp) Opuſcula phyſico-medica T. II. Ulmæ in 8. 1741. p. 431. ſqq.
qq) l. c. in nota mm) p. 218.
rr) l. c. in not. nn).

23. Adeoque ſatis multa undique ſubſidia ſunt, per quæ ad profundiorem, & determinatam magis venenorum cognitionem pervenire poſſumus, quibus proinde omnibus in caſibus ſpecialiſſimis uti oportet, firmiſſimam autem denique, certiſſimamque illam reddunt addita prioribus experimenta cum venenis in vivis animalibus inſtituta, in homine quoque vel ex inſtituto prudenter capta, vel caſu oblata, e quibus ſcilicet directe patet proxima relatio veneni ad hominem, ſingularibus ſe manifeſtans effectibus, in ſenſus cadentibus; facta ſic operoſe in vivis animantibus talia experimenta ſollicite deſcripſit Clariſſ. D. D. SPROEGEL in Diſſertatione inaugurali, *ss*) ſimilia experimenta de plantis venenatis ad hominem & bruta pertinentia recenſet Joſephus MONTIVS. *tt*) Sed in ſolis hominibus obſervatos effectus particularium venenorum habet Morgagnus *uu*) ſcilicet arſenici, ſucci de foliis oleandri expreſſi, extractique hellebori, mixtas tales obſervationes ab homine, brutisque animantibus abſtractas recenſet Petrus ROSSI *vv*) maxime quoque huc quadrat locus jam allegatus Philoſophicarum Transactionum anglicarum *ww*) prætereo alia innumera, quæ ſparſa leguntur in libris Medicorum; moneo autem, iterumque moneo, ſingula hæc maxima circumſpectione opus habere in ſelectu, ne vitia ſubreptionis obtrudantur pro veris experimentis, multoque majore in applicatione ad hominem, & individua humana, quamvis enim experimenta capta in brutis non probent nihil, tuto tamen ab iis ad hominem concludere non in totum poſſumus, quoniam non omnia certe homini venena ſunt, quæ brutis, ac vice verſa; & ſic privata quoque ſingulorum

 ho-

ss) Diſſert. inaug. medica, ſiſtens experimenta circa varia venena in vivis animalibus inſtituta, Auct. Jo. Adr. Theod. SPROEGEL, Berol. Gœtting. 1753.

tt) De Bononienſi Scientiar. & artium inſtituto, atque academia commentarii T. III. Bononiæ 1755. in 4. mai. p. 160.

uu) Jo. Bapt. MORGAGNI P. P. P. P. de ſedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis libri quinque. Diſſectiones & animadvers. &c. Venetiis 1762. Epiſtola 59. p. 373. ſqq.

vv) De nonnullis plantis, quæ pro venenatis habentur. Obſervationes & experimenta a Petro ROSSI Florentiæ inſtituta. Piſis 1762. in 8.

ww) Diſſert. hujus nota ii) cui adde obſervationem D. STEDMANN de effectu hyoſciami albi, & taxi venenato.

hominum conſtitutio, ut apparuit ex §. 10. non parum alterare venena poteſt, certe quoad gradum efficaciæ, nec non varias modificationes effectuum.

§. 24. Ita vero ducimur tandem ad explorandam quoque *materiam venenorum*, de qua ſub finem §. 4. dictum eſt; nimirum, ubi ex innumeris illis venenorum ſpeciebus plures ſeverius examinamus, ut eruere poſſimus materiæ, qua conſtant, privatam indolem, eamque reducere ad cognitam, oppido deprehendimus, in aliis maſſam illam totam, quantam adeo venenatam eſſe, ut quælibet ejus particula facultatem iſtam poſſideat, certe ars non poſſit inde ſeparare partem, vel maſſam inertiorem, aut prorſus inertem, aut etiam detegimus quidem per noſtra examina diverſitatem materiarum, quibus venenum conflatum eſt, & poſſumus etiam ſeparationem adornare, ſed intelligimus ſimul manifeſto, ut veneni facultates & effectus conſequantur in mixto, neceſſariam eſſe diverſarum illarum materiarum unionem iſtam determinatam. Illius fere generis venena ſunt arſenicalia, & antimonialia, ſalina ſimpliciora, & compoſita, metallicis præcipue nupta particulis tam acida, quam alcalina, ſed in aliis, qualia potiora ſunt vegetabilia, deprehendimus: paucum quidem illud eſſe, quod proprie venenatam energiam exercet, tenaciterque adhærens materiæ inertiori, glutinoſæ, oleoſæ, ſaponaceæ, terreſtri, ut vix ſecernere, aut divellere inde poſſit ars, & adeo tenue, ſubtile, ut vix poſſit vaſis excipere Artifex, quin etiam ita ſingulare, ut vix hactenus ad cognitum aliquod materiarum genus reduci queat, docent præſertim venena illa plurima vegetabilia volatilia, quæ in conſueto atmosphæræ frigentis etiam calore nares emunctas ſuis feriunt, & moleſte afficiunt effluviis, longa vero exhalatione, atque decoctione cum aqua vel miteſcunt prorſus, vel omnem exuunt facultatem venenatam; ſuccurrit his examinibus præcipue Chemia, nobiliſſimum hujus partis cognitionis venenorum ſubſidium, namque hæc, ut ſcribit VOGELIUS *xx*) eſt ſcientia practica, indagare docens mixtionem corporum tum naturalium, tum ex his erutorum, & quidquid per eam eſt poſſibile.

CAPUT

---

xx) Rudolph. Auguſtin VOGEL, Inſtitut. Chem. Gottingæ in 8. 1755 §. & pag. 1.

CAPVT SECVNDVM

De converſione materiæ Toxicorum hominis vegetabilium ſimplicium in medicamentum.

§. 25. *Veneni*, ſeu materiæ veneni *converſio* in *medicamentum* ſollicite diſtinguenda eſt ab imminutione ſimplici, vel infirmatione illius, hanc enim nemo non intelligit, facile fieri poſſe vel per imminutionem doſis, quæ obſervatione ſcitur veneni vehementiores effectus edere, vel & per mixturam cum antidotis, quemadmodum exemplum de Ponti Rege, Mithridate §. 10. ex Galeno propoſuit; ſic potentiſſima venena minima prorſus doſi admiſſa minimam etiam efficaciam exercent venenatam, interim venenata indoles, utcunque ſic infirmata non tamen extinguitur in totum, multoque minus veneni materia in medicamentum permutatur. Novi ſic Medicum adhuc ſuperſtitem, qui puer 4 annorum, ſolus incluſus conclavi hauſerat poculum lactis cobalto contuſo infuſum, male inde habuit, vomuit, ſervatus eſt per ingeſta tempeſtive antidota congrua, ſed ab eo tempore in hunc usque diem pallidus tremorem patitur invitus per omnes artus absque omnibus indiciis æſtus alicujus interni.

§. 26. Ergo forte prorſus eſt impoſſibilis converſio hæc? Audiamus rationem, & experientiam, videamus ante omnia, quid ſibi proprie velit, quæ ſint ejus poſtulata? Dum volumus, aut dicimus materiam toxici converti, vel converſam eſſe in medicamentum, expectamus, & ponimus eam hujus materiæ mutationem, per quam nunc omnem exuerit non tantum veneni characterem, ut ne ſuſpecta quidem eſſe amplius de illo poſſit, ſed & eam facultatem poſſideat medicatam, cujus ope applicata jam homini ſalutares in eo præſtare poſſit effectus, vitam & ſanitatem ſuſtentantes, & more aliorum medicamentorum morbos præſentes debellantes, vincentes.

§. 27. At dicis: nimia eſt veneni a medicamento, & hujus ab illo diſtantia, unde nec ſpes converſionis hujus affulgere poteſt? Reſpondeo: tanta certe non eſt, quanta primo intuitu eſſe videtur, quin major forte vicinia, quam obiter ſpeculatus rem cogitare poſſet, qua-

pro-

propter Clariſſ. BOERHAAVIUS *yy*) venenum a medicamento diſcreturus, præcipuam in eo ponit differentiam, quod illud mutationem in corpore humano excitet, quæ per ipſam eam mutationem non ſuperatur, & corpus mutet, ut e ſano ægrum fiat, aut cadaver, cum contra mutatio, quam facit medicamentum, in ſanitatem tendat; addit: "apparet multa corpora eadem & medicamenta, & venena eſſe." Perſpicaciſſimus Gaubius in ſuis Inſtitutionibus Pathologiæ medicinalis *zz*) ſolidiſſimis meditationibus venenorum hiſtoriam proſecutus determinate magis idem affirmat, dum ſcribit: "Ex eo intelligere licet, quam prope a venenis abſint medicamentorum efficaciſſimorum permulta, ut omnino ambigere inter utrumque genus videantur, ad utrumque pertinere? Vires medicatæ & venenatæ, qua proximis gradibus ſe contingunt, exigua molis differentia invicem convertuntur."

§. 28. Prævidit & ſubolfecit jam hanc affinitatem Antiquitas, unde Dodonæus *aaa*) monet, "habent & perniciofæ plantæ ſuam quandoque utilitatem, & conferunt quandoque commodum; paucæ enim tam perniciofæ, quæ non aliqua ex parte, quandoque & opportuno tempore ac loco proſint, & conferre queant, contemperatione & modo adhibitis." Elegans præcipue locus eſt Commentatoris Dioſcoridis MATTHIOLI, *bbb*) qui ſic habet: "Nonnunquam venena, quin & medicamenta venenata tam interius ſumta, quam exterius appoſita morbis ſuccurrunt, qui aliud curationis genus non admittunt, interdum etiam adverſus alia venena theriacæ vicem ſupplent; namque aperte videmus, quod, ubi quispiam afficitur diuturnis vigiliis, aut ſuffocante deſtillatione, aut menſium profluvio, aut dyſenteria, aut coli dolore, aut renum, aut uteri, ubi alia non contulerint medicamenta, ſi opium, mandragora, hyoſciamus exhibeantur, ſæpenumero ægros a morte vindicari, quamvis enim hæc ſingula malefica qualitate polleant, in contumacibus tamen morbis, & curationi refragantibus, tantam afferunt utilitatem, ut ægris deperditam fere ſalutem revocent." Taceo veterum teſtimonia reliqua, & unicum tantum addo e recentiſſima jam nominata Diſſertatione in Prologo hujus Diſſertationis *ccc*) ubi ſic Doctiſſimus Dn. Auctor mentem ſuam exprimit: "Datur profecto medicamenta inter & venena quædam affinitas, per quam aliud alius naturam ac indolem induere poteſt, ita ut ſalubre medicamentum præſentiſſimum evadat venenum, & ſic viciſſim."

§. 29.

yy) Herm. BOERHAAVE Prælect. academ. in proprias inſtit. ex edit. Alb. Haller &c. T. VI. in 8. Gottingæ 1744. §. 1119. pag. 374.

zz) §. 493. p. 248.

aaa) libro cit. in not. *w*) L. IV. de deleteriis ac perniciofis herbis, p. 273.

bbb) libro citato in nota *x*) p. 1401.

ccc) vid. not. *f*) p. 2.

§. 29. Diſparitas proinde veneni a medicamento nihil impedit, quo minus converſio in medicamentum vel ſperari, vel locum invenire poſſit; cum vero de relatione ac efficacia medicamentorum æque ac venenorum ad & in hominem vivum adeo fallax & lubricum ſit judicium, quod non preſſo pede ſequitur experientiam, itaque videamus etiam, num non ad manus jam ſint exempla talis converſionis? atqui vero ſunt a longis retro annis ad noſtra usque tempora. Proponam eminentiora quædam exempla, e quibus eluceſcere poſſit, non Veteres tantum & Recentiores de hac cogitaſſe converſione, ſed & eam actu cum fructu applicuiſſe, poſſunt huc trahi, quæ proximo jam paragrapho memorata ſunt teſtimonia, ſed evidentius adhuc idem confirmant ea, quæ refert Celebris Anglus Guil. Derham in ſua Theologia Phyſica *ddd*) in vernaculam noſtram tranſlata, ubi ſequentia habet: "Die Cicuta nicht allein, ſondern noch viel andere Kräuter, wo nicht die allermeiſten, die man für vergiftet hält, können in der Medicin ihren groſſen Nutzen haben. Der gelehrte Doctor Tancred Robinson fället in einem Brief an den verſtorbenen D. Ray, den 7. Novemb. 1704. folgendes Urtheil davon: ich überſende hiebey etliche Obſervationes von einigen Kräutern und Pflanzen, die man für vergiftet hält, und deßwegen ſelten in der Medicin gebraucht, da ſie doch, wenn ſie gehöriger maſſen corrigiert, und in der rechten Doſi gebraucht werden, wohl vor die allerkräftigſten, und beſten Artzneyen von der Welt paſſiren können. Inſtruit paulo poſt lectores, quomodo quædam ex iis corrigi poſſint, & nominat helleborum album, radicem aſari, cicutæ, napellum, hyoſciamum, Stramoniæ ſemen, elaterium correctum, & opium, ſingula medicamenti loco determinata doſi cum fructu in graviſſimis morbis exhibita. Recentiorum & exemplorum & experimentorum accuratiſſime deſcriptorum numerus multo major eſt: Sic ipſum ar-

D ſeni-

ddd) Guil. Derham phyſical Theology, Londin. 1714. poſt ſeptimam edit. angliecam in germanicam translata ſub titulo: William Derhams, Canonici in Windſor, Phyſico - Theologie, oder Naturleitung zu GOtt von Alberto Fabricio, Hamburg, dritter Druck in 8. 1736. p. 117. fol. 88.

ſenicum in medicamentum ſaluberrimum converti poſſe, atque converſum eſſe, docuit olim B. D. D. Jo. Chriſtian. JACOBI, *eee*) quin etiam Veteranus Auctor Medicus Philo-chemicus, J. C. BERNHARDI *fff*) methodum fungos venenatos, qui vernacula *Fliegenſchwæmme* audiunt, uſui medico adaptandi docuit. Sed mineralium venenorum plurima Chemicorum curæ didicerunt non cicurare tantum, ſed & in medicamenta convertere, quot, quæſo, non proſtant hujus rei exempla in præparatis antimonialibus, mercurialibus, aliisque metallicis? quam feliciter a longo tempore tanquam medicamento uſi fuerunt Medici magnorum Præcurſorum, Illuſtris nimirum Domini Van Suiten, Archiatri Cæſarei, & Clariſſ. D. D. SANCHEZ veſtigia legentes ipſo mercurio ſublimato corroſivo ſpiritu frumenti diluto, & per Sirupum edulcorato interne adverſus cancrum, morbos venereos, aliosque. Quam pulchre Chemia docuit argenti cryſtallos convertere in medicamentum ſaluberrimum, quod habemus in hydragogo argento Boylei, vel Angeli Salæ, *ggg*) & ſic univerſa chemia medica plura paſſim converſionis hujus exempla exhibet. Sed neque deſunt ſpecimina converſionis hujus in venenis vegetabilibus: a multis jam hic annis innotuit converſio *Belladonnæ* in medicamentum, quam ſolide propoſitam legimus ab Exc. Domino Collega in Diſſertatione inaugurali, *hhh*) maximam autem attentionem excitaverunt a pleno luſtro recentiſſima exempla converſionis venenorum in medicamenta occaſione cicutæ, ſeu conii Linnæi, Stramonii, Hyoſciami, Aconiti, & radicis colchici autumnalis, de quibus omnibus & ſingulis legi ſollicite merentur ſcripta de iſtis ab anno 1760. ad annum 1763. usque edita, *iii*) in his enim ſollicite

eee) Diſſertatio de prudenti uſu arſenici ſale alcalico domiti, interno ſalutari, inſerta Actor. Acad. Elector. Moguntinæ T. I. p. 216. ſeqq.

fff) Tractatus de virtute venenorum medica.

ggg) Elem. Chem. Herm. BOERHAAVE Tom. in 4. Lugd. Bat. 1732. p. 467. Proc. 183.

hhh) De Belladonna, tanquam Specifico in cancro &c. Auct. Ferd. Chriſtoph. OETINGER, Halæ Magdeburg. 1739.

iii) Anton. STOERK, Medici Viennenſis &c. Libellus, quo demonſtratur: Cicu-

cite deſcriptum invenias modum harum converſionum, cautelas, quibuſcum exhiberi converſa hæc venena debent, plurimasque obſervationes ab ipſis ægris hiſce uſis novis medicamentis abſtractas, magna cura conſignatas.

§. 30. Ab his illuſtribus concludendo exemplis præcipuus converſionis hujus, & converſorum venenorum applicationis ad vivum hominem cardo vertetur in eo, ut 1) a doſi multo minore, quam per experimenta ſcitur, venenatos effectus edere poſſe, incipiat Medicus propinaturus, & rarioribus oblationibus, 2) maſſa tota venenati corporis tantiſper alteretur, partim diſſipando magis volatiles partes, in quibus magna facultatis venenatæ pars reſidet, partim cogendo reliquas, denſando, quin & ignis, & aquæ vi leviter mutando texturam; hisque procul dubio principiis nititur ab Illuſtri Stoerckio propoſita converſio cicutæ, ſtramonii, hyoſciami, & ex parte aconiti, ſeu Napelli in medicamentum; ſed in aliis 3) huc redibit ea converſio, ut corpori venenato ſciamus inſinuare, ac incorporare antidotum adæquatum, quod extinguat aculeos venenatos omnes, omnemque ſuperficiem venenati corporis ita undique obducat, ut admiſſum etiam, ingeſtumve humano corpori nullibi nudum illud tangat, nec fere aliter niſi tanquam gladius ſuam intra vaginam agere poſſit, exemplum hujus eſt Stoerckiana colchici in medicamentum converſio.

§. 31. Quantum venena ex imminutione doſis non miteſcant modo, ſed & ſua tandem efficacia crebrius ſic exhibita prorſus priventur,

D 2

Cicutam non ſolum uſu interno tutiſſime exhiberi &c. Vindobonæ 1760. in 8. Anton. Stoerk, Sacræ Cæſar. Reg. Apoſt. Majeſt. Conſil. Aul. Archiatri &c. Libellus *ſecundus*, quo confirmatur: cicutam non ſolum uſu interno tutiſſime exhiberi &c. Vindobon. 1761. in 8.

Ejusdem Supplementum neceſſarium de cicuta, Vindobon. 1761. in 8.

Ejusdem Libellus, quo demonſtratur: Stramonium, Hyoſciamum, Aconitum non ſolum tuto poſſe exhiberi uſu interno hominibus &c. Vindob. 1762. in 8.

Ejusdem Libellus, quo demonſtratur: Colchici autumnalis radicem &c. Vindob. 1763. in 8.

tur, docere poſſit exemplum, quod e Galeno narrat Proſper Alpinus *kkk)* de anu Athenienſi, "quæ a minima cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento ad permagnam progreſſa eſt copiam, principio enim paucum exiguitate ipſa devictum eſt, at conſuetudo naturale reddidit." Huc etiam referas aliud, in quo ſimul cicuta jam medicamenti vices egit, propoſitum e Nic. Fontano abs Clariſſ. Anglo D. Mead *lll)* de "homine, qui peſte ſuperata omni egenus cicutam edit per aliquod tempus optimo cum eventu, imo ſola hac agrypniam redeuntem debellare potuit," Similis huic eſt obſervatio de uſu interno parcæ doſis ſacchari ſaturni, quam olim publici juris fecit Lipſienſis Medicus B. D. Hundertmarck, *mmm)* ut proinde in ipſis illis experimentis & obſervationibus Stoerckianis, eorundemque obſervationibus ſuſpicari oporteat, multum extinguere venenatam indolem, & ad medicatam conferre notabilem molis & doſis imminutionem, nec non conſuetudinem.

§. 32. Maſſas venenatas per ignem & aquam notabiliter alterari poſſe, ut juvetur converſio in medicamentum, diſcimus ex analogia præparationis extractorum ex plantis odoratis, amaris, ſaponaceis, ſubſalſis, & ejus effectu, intelligimus ex ipſis conditionibus præparationis extractorum ab Illuſtri Stoerckio propoſitorum, & ejus effectu, exhalat enim ſub ea evidenter pars volatilis, ingrate nares afficiens, mutatur reliqua quoad formam, texturam, & ſaporem. Levis utique circumſtantia totum concretum, & ſic etiam ejus effectus mutat! Quare cum vegetabilia in univerſum obſervemus a natura noſtra minus aliena, vitæque noſtræ viribus æque minus ac actioni aquæ ac ignis reſiſtentia, videntur ſane venena etiam hac ſimplici præparatione, atque correctione præſtanda converſionem hanc admittere.

§. 33.

kkk) De Medicina Ægyptiorum Libri quatuor, Venet. MDXCI. in 4. mai. L. IV. C. I. p. 119.

lll) Rich. Mead mechanical account of poiſons, London 1702. & quarta vice 1744. latine reddita ſub titulo: Richard. Mead mechanica expoſitio venenorum &c. Francof. ad Mœnum 1763. in 8. p. 104.

mmm) Exercitatio academica de ſacchari ſaturni uſu interno ſalutari, &c. Lipſiæ 1741. in 4.

§. 33. Converſionem poſſibilem per antidota immixta, & inſinuata probat ipſum exemplum STOERCKIANVM de aconito & colchici radice, ſed valde probabilem etiam reddunt plurima exempla Regum & Magnatum, qui certe ſumta venena ſub varia cum antidotis mixtura experta ſunt prorſus inertia, ut probant hiſtoriæ Galeni, quas libro de antidotis in ſcenam producit, nec paucæ Dioſcoridis, quæ occurrunt in Commentariis Matthioli, locis ante nominatis, *nnn*) aliæque ſparſæ aliorum Auctorum.

§. 34. Quisquis ergo hac uti vult converſionis methodo, noſſe non modo debet, quantum perſpicere licet, naturam & indolem venenorum, hæc enim perſpecta in quibusdam certe venenorum exemplis clavem dabit inveniendi antidota, ut manifeſtum eſt in venenis acidis, & alcalinis, ſed & noſſe in aliis, quorum ſunt multo plura, ubi ex natura veneni nihil eruere licet, antidota fortuito caſu etiam, & longa experientia detecta, & confirmata, quæ ſæpe ſunt ſimpliciſſima, prouti ſic illius teterrimi veneni Caſſavæ amaræ, vel Iatrophæ Botanicorum §. 18. antidotum ſcitur eſſe ſaccharum, quamvis etiam virulentiam omnem exuat ſola fermentatione & coctione, vel mixtura cum ſale abſinthii, & aqua menthæ, ut docent experimenta Herberti, quæ leguntur in diſſertatione nominata, *ooo*) & Maſſacarienſis veneni antidotum olim fuiſſe ſtercus humanum exſiccatum, teſtatur KAEMPFERVS in amoenit. exot. *ppp*) quemadmodum alia innumera deſcribuntur antidota in libris allegatis Galeni, Dioſcoridis, Petri de Abano, locis BOERHAAVIANIS, CRANTZIANIS, & ſparſim in Diſſertationibus eruditorum, ut illa nominata not. f. diſſert. hujus, quin & aliis pluribus *qqq*) ex quibus omnibus magnam ſatis antidotorum farraginem conquirere licebit.

nnn) vid. not. h. & k.
ooo) vid. not. gg. p. 17.
ppp) vid. not. hh. p. 577.
qqq) Pertinet huc Diſput. med. de venenis, Auct. BRECHTFELD, Helmſtad. 1661. Diſſ. de venen. & morbis venenoſis, Auct. SCHLEGEL, Erford. 1679. Diſſ. med. de venen. & bezoard. Auctore Urſino, Jenæ 1682. De venenis, eorumque antidotis, Auct. Buzinkai, Trans. Hung. Franequeræ 1753.

§. 35. Qui proinde venena & antidota tam prophylactica, quam curativa, generalia & ſpecialia bene perſpecta habuerit, is profecto inchoatam venenorum catallagen in medicamenta utiliter admodum extendere poterit ad alia multa venena ex iis, quæ indicata ſunt §. 13—19, poteritque ſic invenire nova potentiſſima medicamenta, vere heroica; modo præparationem adornet omni cum attentione, prudentia, & induſtria, & præcipue caute ſatis cum his medicamentis verſetur in applicatione, qua quidem in re tutiſſimus ibit, qui ſequitur vel C. Gesnerum, prout ejus methodum, & cautelas deſcripſit Clariſſ. Jo. Gesnerus in Phytographiæ ſacræ generalis parte pract. altera, rrr) vel Clariſſ. Stoerckium, toties hactenus laudatum, qui ſua experimenta ut ſollicite admodum inſtituit, ita & fideliſſime in libris nominatis deſcripſit.

§. 36. Ut autem colophonem tandem huic diſquiſitioni addam, excuſaturus uſum & applicationem venenorum in medicamenta converſorum utar non tantum verbis Ciceronis, qui alicubi eleganter dicit: "in adeundis periculis conſuetudo Medicorum imitanda eſt, qui leviter leniter curant, gravioribus autem morbis periculoſas etiam curationes & ancipites adhibere coguntur," ſed & iis, qui gravioribus morborum nodis duriores hujus generis cuneos opponere dubitant, & opponentes temerarii de humano corio luſus arguunt, ad animum revocabo præcipuam iſtam rationem, propter quam in his materiis venenorum ſpes affulget, medicamenti materiam haberi, cui non par inveniatur alibi, quoniam ſcilicet & maximam teſtantur obſervationes, eminentemque in hominem vivum eorum activitatem, & juxta notamina §§. 5. & veneni definitionem §. 6. ipſum vitate principium, quemadmodum Gaubius loquitur, vitæque præcipuos fontes petere videtur eorundem materia, quare, ſi cautum fuerit ab effectu noxio, naturæ vires actuoſæ ſolummodo excitatæ, ſtimulatæ potentius, & directe magis certiorem ſpem faciunt debellandi & ſuperandi morbi, cujus ablatio eſt Medicinæ

FINIS!

rrr) §. 14. p. 26.

PRAESIDIS
EPILOGVS AD NOBILISSIMVM DOMINVM RESPONDENTEM:

Quod acerbiſſimum vulnus inflixit mihi haud ita diu obitus B. Domini Fratris Tui meas in delicias noſtra in Muſarum ſede paucos ante annos verſati, optime quidem TVA TV *præſentia conſolidaſti, ex quo mecum, meisque in ædibus vixiſti. At at, cum brevem in ſe vitam eſſe ſcias, cur, amabo, breviorem vis eſſe* TVAM *inter nos commorationem? quam peroptarent mecum Boni plurimi, multo longiorem, ſuaque longitudine ipſam artem Hippocraticam ſuperantem. Vix annum noſtro in Athenæo emenſus es, & reditum patrios ad lares, eosque* Helveticos *paras! itane longiſſimum ſtudiorum academicorum filum reſecare licet? iis profecto licet, qui* TVVM *imitati exemplum non reſecant cum eo longam ſpem largiſſimæ meſſis eruditionis ex curto etiam temporis intervallo.* TV *ſcilicet* TVO *mihi archetypo demonſtraſti, quod poſſint præcocia ingenia ocyus multo maturare induſtriæ fructus ac alia,* TV *vero expertus es, quod labor improbus omnia vincat, quia laboribus cuncta Dii vendunt. Quantum nunc juvabit, didiciſſe fideliter artes, ultra progredi quotidie, fœnori dare ampliſſimo acquiſitam eruditionem medicam academicam, ipſam praxin adire medicam, levare Venerandum Dominum Patrem, cujus amor, ſenectus, diffuſiſſima, lateque celebrata praxis*

medi-

medica prius TE *a Nobis avocant, retrahuntque, quam feſtinare Te noſter vellet amor, quapropter impenſe quidem Ipſi, & Venerandæ Dominæ Matri gratulor de Te, tanquam inſigni paternarum & maternarum curarum Brabeo, virtutibus, bonis moribus & ſtudiis undique coruſcante!*

Salvum TE TVIS *reddat Caritatibus, & incolumem Divina Providentia, benedicat ſupremum in Cœlis Numen medicis Tuis curis, & meditationibus omnibus, quibus ægrorum ſalutem promovere ſtudebis, ut nihil moliaris quidquam, quod non optato beetur eventu. Fluat omnis vita* TVA *feliciſſime, longius multo, ac Deſideratiſſimi Domini Fratris, & ſatura proſperitatibus, ac ſapidis voluptatum condimentis, quæ humanam in ætatem cadere unquam poſſunt; fortunata* TVA *merita coronet ſparta, dulciſſimæ nupta Marthæ, quæ, quod virus evomunt inevitabilia humanarum rerum tædia, mulcere, corrigere, mitigare, in medicamenta, deliciasque mentis convertere, Teque lætiſſimum conſtituere poſſit Patrem ramoſiſſimæ familiæ, cujus tum ſeri nepotes venerentur Clementiæ Divinæ in Proavum ſuperſtitem effuſæ ſplendidiſſima veſtigia. Ita vero mihi vale, neque tamen unquam deſine, me, meosque amare, quos mecum intemeratam Tibi ad ultimum usque halitum conſervaturos eſſe amicitiam confidere prorſus potes.*

Scripſi e Muſæo meo Calendis Septembris. A. R. S. MDCCLXV.